


R.M.L. II.

167.



IN NOMINE DOMINI AMEN  
LEO PATRE FILIO SPI  
RITU SANCTO



B.M.L. 167

STVDIVM 34.  
CATECHETICUM, BIBLICUM,  
LOGICUM,  
quod,  
in Examine Collegii Briznen. publico,  
PRÆSIDE  
SS. TRINITATE  
DEO PATRE, FILIO, SPI-  
RITV SANCTO

JOHANNES SIMONIDES,  
Rector Briznen:

Vices Opponentium & Respondentium Discipulis  
Classis Primæ. n. p.

- |                                 |                               |
|---------------------------------|-------------------------------|
| Matthia Teutschschmiedt/ Brizn. | Johan. Luca, Liptov.          |
| Johanne Grahal/ Brizn.          | Georg: Nigrini, Kys-Honten.   |
| Andrea Molitore, Pov. z.        | Michaële Lucio, Brizn.        |
| Jacobo Oeconomi, Predagn.       | Severino Severini, Kys-Hont.  |
| Paulo Paldia, Arv: Trst:        | Johan: Brodt/ Briznen.        |
| Elisa Kaurinsti/ Neograd:       | Elia Kofa/ Alosov.            |
| Matthia Wozar, Lampert: Wil.    | Martino Alodiatore, Szent-Iv. |
| Thoma Bartholomeide, Thuroc.    | Samuele Seratore, Liptov.     |
| Johan: Hrebenda/ Kys-Hont.      | Daniele Schluchowino, Lopeg.  |
| Georg. Mrista/ Lipcen.          | Michaële Bubelino, Thurocen.  |
| Georg: Platani, Sakolcen.       | Andrea Fassang/ Briznen.      |
| Johan, Humenik, Povaz.          | Johanne Poloni, Lipt.         |
| Johanne Snicellio, Nitrens.     | Georg. Dömöni/ Serbensis.     |

pro-lubitu Examinatorum Iustinentibus

Anno M. DC. LXIX. die Julij.  
ad Ventilandum proponit.

LITERIS, SAMUELIS BREWER.

R.M.Lr. A.  
167.

STUDIVM 34.

CATECHETICUM, BIBLICUM,  
LOGICUM,

quod,  
in Examine Collegii Briznen. publico,

PRÆSIDE  
SS. TRINITATE  
DEO PATRE, FILIO, SPI-  
RITV SANCTO

JOHANNES SIMONIDES,

Rektor Briznen:

Vices Opponentium & Respondentium Discipulis

Classis Prima. n. p.

- |                                  |                                |
|----------------------------------|--------------------------------|
| Matthia Zeiltschschmiedt/ Brizn. | Johan. Luca, Liptov.           |
| Johanne Graza/ Brizn.            | Georg: Nigrini, Kys-Honten.    |
| Andrea Molitore, Povaz.          | Michaële Lucio, Brizn.         |
| Jacobo Oeconomi, Predagn.        | Severino Severini, Kys-Hont.   |
| Paulo Paldia, Arv: Trst.         | Johan: Brodt/ Briznen.         |
| Elia Kourinsti/ Neograd:         | Elia Rosa/ Mosov.              |
| Matthia Wozar, Lampert: Wil.     | Martino Alodiatore, Szent-Itv. |
| Thoma Bartholomeide, Thuroc.     | Samuele Seratore, Liptov.      |
| Johan: Hrebenda/ Kys-Hont.       | Daniele Schluchowino, Lopeg.   |
| Georg. Krstka/ Lipcen.           | Michaële Bubelino, Thuroccn.   |
| Georg: Platani, Sakolcen.        | Andrea Fassang/ Briznen.       |
| Johan, Humenik, Povaz.           | Johanne Poloni, Lipt.          |
| Johanne Snicellio, Nitrens.      | Georg. Dciovint/ szibensfs.    |

pro libitu Examinatorum iustinentibus

Anno M. DC. LXIX. die Julij.

ad Ventilandum proponit.

LITERIS, SAMUELIS BREWER.



VIRIS

*Generosus, Consultissimus, Prudentissimus*

DN. VALENTINO FRÖLICH

Judici,

ac reliquis Regiæ Liberæq; Civitat: Leutschoviensis

SENATORIBUS

*Dominis Patronis, Fautoribus ac Promotoribus  
submissa animi observantia etatem  
colendis.*



Hoc Studium cum voto consummatæ ab omni parte  
felicitatis & omnigenæ prosperitatis  
consecrat.

JOHANN. SIMONIDES  
Rect. Brizn.



S T V D I V M

I.

CATECHETICVM.

1. Examen Studii Catechetici proposituri, non immerito Nobis pulchram & notatu prædignam Catecheseos Descriptionem à Sp: S. in epistola ad Heb: 5. 12. annotatam, quod sit *Doctrina prima verborum elementa proponens*, in memoriam revocamus. Quibus verbis p. *Genus* exprimit, quod Doctrina; p. *Differentiam*, quæ desumitur (1) à Causa Efficiente principali DEO, Instrumentali, Verbo: (2) Materiali, quæ Elementa verborum DEI. (3) Formali, quæ docendi modus, non quidem subtilis, Doctoribus: sed infantilis rudioribus competens; neq; cibo solido, sed lacti comparatus; in *Rudimentorum* Doctrinæ cœlestis perspicua mediante *viva voce explicatione; explicatorum* ab Auditoribus per certas interrogationes *expostulatione* & in *Auditorum* ad interrogata brevi *responsione*, consistens.

§ 2. Modus hic à Sp: S. insinuat à Catechetis quibusdam observatus est: quem etiam in B. Dieterici Catechesi observatum deprehendimus: In qua tria potissimum elucet & dispicienda veniunt:

1. Methodica Quæstionum Dispositio.
2. Brevissima in Quæstiones dispositas notatio.
3. Controversiarum non nullarum Resolutio.

§ 3. Hæc cum in singulis Partibus Catecheseos occurrant, ideo ipsa Catecheseos B. Dieterici in tres speciales Tractatus potest distribui, *Primum* Prolegomena S. Præcognita: *Secundus* Legomena S. ipsa Catechetica capita: *Tertium* verò Hypolegomena, quæ scil: B. Dietericus Doctrinæ Catecheticae subnectit, continens.

§ 4. Nos omisso Tractatu ultimo, primò verò ante Anni unius decursum absoluto, solliciti erimus de secundo, qui est de præceptis, Sen: de Iphis Catecheticis Capibus & in specie.

DE DECALOGO.

§ 5. In hoc Tractatu, quoad Methodicam Quæstionum Dispositionem proponitur 1. Natura Legis, p. in Genere, quæst: 1. 2. 3. p. in Specie, Ceremonialis, Forensis quæst: 5. ad 11. & Moralis, populariter quidem quæst: 4.

ad 13. singulariter verò, à Quæst: 14. ad 102. inclusivè. II. Consequentia Legis, vel immediata, ut Legis impletio & Usus Quæst: 1. ad 7. vel mediata, p. quoad eventum, malum, ut Peccatum, quæst: 8. ad 19. bonum, ut Pœnitentia, quæst: 20. ad 29. p. quoad normatum, ut est. bonum opus, quæst: 29. ad 35.

## NATURA LEGIS.

§ 6. Quoad Exegeticam Quæstionum dispositarum expositionem & Controversiarum nonnullarum resolutionem.

*Ad Quæst: 1. Supponendo.*

1. Causam aliam esse *Principalem*; aliam *Ministerialem*: 2. Leges, alias esse divinas; alias humanas, in Lege revelata aut naturali fundatas: 3. Materiam, aliam ex qua, aliam in qua, aliam circaquam: 4. Leges quasdam esse *fundamentales*, quas in ingressu Regni vel Principatus quispiam iurejurando interposito promittit se servare; quasdam *non fundamentales*: 5. Promulgationem esse *vel proprie dictam*, quæ fit per externam propositionem; *vel improprie*, quæ per naturale dictamen, aut alio modo. 6. Obligationem Legum Civilium dari *aut coactivam*, quæ cum rigore & metu conjuncta est; *aut directivam*, quæ per suam in naturali, vel divino, iure foundationem ad agenda obligat, concludimus:

I. Omnium Legum, tam naturalium, quam positivarum, si modò justæ sint & non Tyrannicæ, Causa Principalis DEUS est: Ministerialis verò pro ratione Materie & Temporis variat.

II. Quæ *Objectivè* & fundamentaliter sunt in rebus; *subjectivè* in Intellectu; quoad cognitionem: in Voluntate, quoad cognitionis executionem: *significativè* autem in Tabulis, voce, libris &c.

III. Deus proprie loquendo, hoc est, ex superioris alicujus voluntate Legi æternæ subiectus non est.

IV. Rationè tamen suæ Sapientiæ & Justitiæ consideratus, ut ut non habeat aliquam Legem ab aliquo superiore *latam* sibi positam, est tamen sibi ipsi Lex.

V. Rex verò S. Monarchia quilibet non est solutus Legibus divinis, neq; naturalibus neq; fundamentalibus.

VI. Quia verò datur talis Lex, quæ sine Promulgatione Nos obligat; Promulgatio proprie dicta non est de essentia Legis.

VII. Quantum verò Directionem & Obligationem actualem Legum positivarum attinet, ad eas Promulgatio usq; adeo necessaria est, ut sit *Conditio* quædam sine qua non.

*Ad Quæst: 9. 10. &c. Distingvendo.*

1. Inter Ceremonias Dominicas, Apostolicas, Ecclesiasticas & Leviticas, non ratione lectionis, sed externæ observationis has consideratas; 2. Inter Finem Legum Forensium Generalem, & Specialem, scilicet: generale Legis Fundamentum, quod commune; & Speciale Complementum, quod particulare; 3. Inter Legis Moralis Substantiam, quatenus præcepta Inmorum præscribit, & Circumstantiam, quatenus restrictionem, vel populi Judaici, vel terræ promissæ includit, Concludit:

I. Leges Ceremoniales, quoad usum & externam observationem ac obligationem, jam dudum sunt abrogatæ.

II. Sicut & Forenses, non quidem quoad finem generalem, qui est honestas, pax publica &c; sed Specialem, qui respicit pœnarum ac Statutorum determinationem certis circumstantiis descriptam.

III. Moralis verò, licet quoad Justificationem, maledictionem & rigorosam exactionem sit abrogata: Non tamen quoad Observationem, doctrinam & obedientiam.

IV. Adeoq; hinc patet Decalogum non esse ex Ecclesia proscibendum, sed & Renatis inculeandum.

## DE TABULA PRIMA.

*Ad Quæst: 18. Supponendo:*

Certum esse numerum *Cardinalem*, sed à Mose nusquam additum *Ordinalem*: adeoq; peccari contra libertatem Christianam, quando enumeratio illa, quæ præceptam de *Sculptilibus* secundum esse statuit ut necessaria obtruditur, Concludimus:

I. Quamquam constitutio Numeri ordinalis in præceptis Decalogi, per se & sua natura sit res adiaphora; falsa tamen est illa Decalogi Sectio, qua 5. præcepta Tabulæ prioris, 5. verò posteriori assignantur.

II. Rectius itaq; nostrates, liberè tamen D. Lutherum & alios secuti, fecant Decalogum, ita ut priori Tria, posteriori autem Septem præcepta assignentur.

III. Adeoq; non primum & secundum Calvinianorum, sed Nonum & Decimum Lutheranorum distincta sunt præcepta.

*Ad Quæst: 34. & 43. Notando:*

1. Imagines alias esse *Licitas*; ut sunt Typicæ, Historicæ, & Ornatus gratia efformatæ; alias *Illicitas*, ut sunt partim impudicæ, Veneris Bacchi &c. partim fabulosæ, ut Christophori &c.

2. Non quæri de Imaginibus in locis privatis, sed publicis; neq; de fa-

Et extraordinario à mandato Divino Imperato: sed Ordinatio à privato hominis studio elicito.

3. Non quæri de adoratione Imaginum Civili, sed Religiosa, & quidem non Materialiter, sed Formaliter consideratarum sive propria & directa sive impropria & indirecta intelligatur, Conclud:

I. Ipsa Factionis *invenitur* sive actus Imaginum non est in primo Præcepto prohibitus.

II. Sed Finis tantum h. e. Religiosa Imaginum adoratio sive formaliter & ratione repræsentationis sive proprie & directe, sive analogice & Indirecte considerentur, Quæst: 36.

III. Adeoq; quoad usum Historicum & Didacticum, si modo honestæ sint & Christianæ pro Libertate Christiana in Templis tolerari possunt, Quæst: 34.

IV. Sicut & Relationes Divinæ, ut & Imago Christi Crucifixi, sine peccato pingi potest, Quæst: 42. 43.

V. Si verò quando Imagines etiam scandalosæ abolerentur, non à privatis quibusvis, sed ex Officio Magistratus ordine omnia fieri debent h. e. citra scandalum, tumultum, hæreticum immutandæ doctrinæ astum & ob solius Christianæ doctrinæ Usus, Quæst: 41.

*Ad Quæst: 49. ad 51. inclusivè Notando:*

1. Quæri de Juramentis seriis, veris, in Gloriam Dei; non verò temerariis, falsis, in perniciem proximi &c. susceptis. 2. Quæri de formulis Juramentorum propriis, non figuratis: item non de Civili & nuda asseveratione, sed rei assertæ per juramentum confirmatione, Conclud:

I. Licitum omninò est jurare, de rebus veris, certis, possibilibus, gravibus.

II. Sed non per Creaturas sive solitariè sive post factam Dei mentionem, sive propter eas, sive propter Deum.

III. Multominus per falsos Deos, quod observ. contra Ethnicos,

IV. Licet enim in genere confirmationis adeoq; saltem finaliter possit dici suo modo verum Juramentum per falsos Deos susceptum,

V. Non tamen in genere Cultus s. Objecti.

VI. Hinc nihil obstat, quò minus exemplo Abrahami & Jacobi, Abimelechi &c. etiam à Christianis admittatur.

VII. In quo tamen, sicut & in aliis æquivocationibus non licet uti.

*Ad Quæst: 55. Distinguendo:*

1. Inter promissionem nudam, quæ fit sub fide Hominis & Juramento firmatam, quæ fit sub invocatione Numinis Divini. 2. Observato: Juramenta esse vel Licita; quorum norma Deus, Objectum causa honesta, Finis

Dei & proximi dilectio: vel Illicita, quæ contrario modo sese habent, Conclud:

I. Juramenta, quæ officia Pietatis & Charitatis unumq; publicum impediunt, non obligant conscientiam.

II. Neq; ex affectu, aut illiciti amoris, aut injustæ iracundiæ profecta.

III. Neq; de re illicita, dubia & impossibili facta.

IV. Omnè tamen promissum juramento firmatum, quod salva pietate & obedientia Magistratui debita nec non salute proximi ullo modo præstari potest, absq; omni furo & dolo servari debet, etiam de re levi factum, si non vi metuq; extortum ac elicitum.

*Circa Quæst: 57. Notando:*

1. Votum consistere in tribus (1) in deliberatione, quod est Rationis. (2) in proposito, quod Voluntatis: (3) in promissione, quæ utriusq;: Per illam inchoatur; per istud confirmatur; per hanc consummatur. 2. Vota esse vel Moralia; vel Cereimonialia, quæ erant Umbrae futuri Christi &c.

Concluo:

Christiani ad Vota Communia, Moralia & necessaria, quale est etiam Baptismus, omnes obstringuntur: non verò ad particularia, Cereimonialia & libera.

*Ad Quæst: 58. Observatio:*

1. Tria esse Vota Monastica: Castitatis perpetuæ; Paupertatis Voluntariæ; & Obedientiæ religiosæ; 2. Dona alia esse Generalia, quæ omnibus piis necessaria & divinitus promissa Luc. 11. 13. alia Particularia, quæ non ut Virginitas. 3. Paupertatem aliam esse Monachalem, quæ in proterva aspernatione possessionum, aliam Spiritualem, quæ in infirmitatis connata agnitione consistit; 3. Quæri h. l. de Obedientia, quæ est cæcum obsequium Abbatis, ut Superioris judicio in solidum Subjectum; non quæ est promptitudo obsequendi mandatis in Codice Sacro præscriptis, Conclud:

I. Vota Monastica sunt Cultus electitii quibus frustra Deus colitur.

II. Ergò Votum paupertatis Voluntariæ, Verbo Dei est contrarium.

III. Neq; V. Obedientiæ religiosæ eidem Consentaneum.

IV. Neq; V. Castitatis perpetuæ omnibus, qui Monasticen profiterentur est faciendum.

*Ad Quæst: 64. & seq. Notando:*

1. Non quæri de Sabbato Spirituali & interno; nec Cœlesti & æternò; sed Temporalis & externo; eoq; non Menstruo; neq; annuo, verum Hebdomadario; 2. Sublationem Sabbathi esse (1) vel quoad Substantiam aut Circumstantiam; Vel (2) quoad ipsam rem aut modum rei; Vel (3) quoad Di-

Ad extrinsecum Cultum, aut tempus à Lege definitum; Vel (4) quoad Pietatis exerciticia, aut quoad Leviticæ necess. officia; 3. Jus esse aliud purè humanum non Male; aliud Divinum, Conclud.

3. Nquod de rebus Civilibus &c. aliud Ecclesiasticum, quod non facile mutabitur. I. Circumstantia diei septimi Judaici est Ceremonialis, neq; nos Christiani. I. Ipsa nos obligat.

II. Manet interim hoc morale, nempe aliquod tempus intra Circulum hebdomadis Cultui Divino esse destinandum, quod nos omnes obligat.

III. Tempus illud hodie est dies Dominicus seu Solis, cujus institutio cum confideratione non sit Juris humani sed Divini, non est mutabilis, adeoq; ad ejus observationem Christiani necessariò sunt obligati.

III. Ad & Cl. *Ad Quest: 63, Supp:*  
Quæ I. Festa Judæorum qui inter Christianos celebranda judicat, Veritatem

IV. Sic Evangelicam in dubium vocat periculosè Gal:4.9. 2. Christiani, licet ad ping Festa Judaica non obligentur, tenentur tamen esse assidui in cultu Divino

V. Si vero non minus quam Judæi; 3. Conditiones Festorum esse seq. (1) ut sint piæ, bus visum Gloriæ Dei celebrationem habentia: (2) Libera, sine necessitatis icanc aut meriti opinione imposta, (3) Utilia, ædificationi & conservationi orlius Cdinis Ecclesiastici inservientia: (4) Rariora & parcè repetita, vulgè ignaviæ & lasciviæ ansam præcludentia. 4. Non queri de Opinione Festorum Pa-

1. Qpistica; sed Orthodoxa; non de Festis ob dedicationem terminativè Sanctis, falsis &c. sed ob recordationem spectatis, Concludimus:

mentor I. Præter diem Dominicum, licitum est & alios dies Festos anniversarios, ne, sed celebrare.

I. Licit II. Et quidem dies Salvatoris, ut puta Nativitatis, Circumcisionis &c. propter causas sub Quæst: 24. allatas.

III. Apostolorum verò & aliorum Sanctorum propter rationes sub Quæst 75. subjectas.

IV. Licet

## DE TABULA SECUNDA.

*Ad Quest: 15. seq. Not:*  
I. Nomen Magistratus sumi abstractivè, pro ipsa potestate, & Concretivè, pro personis potestate imperandi instructis; 2. Legitimum judiciorum

III. Usus ab eorum abusus, qui sedum suscipiuntur avaritia, odio & alio pravo affectu, esse discernendum: sicut etiam ipsam potestatem judicandi, à malicia personæ dharente. 3. Libertatem Spiritualem, quæ posita est in libertate ratione animæ à pravis desideriis, non tollere servitutem corporalem, quæ est mentis subjectione Domino obsequiosa. 4. Ministros Ecclesiæ confid. vel quoad

firmat

mentis subjectione Domino obsequiosa. 4. Ministros Ecclesiæ confid. vel quoad

Ecclesiasticum Officium, quod in Verbi prædicatione &c. Vel Politicum vinculum, quod in Civili conversatione &c. consistit, Conclud.

I. Magistratus est Persona à Deo ordinata. Quod patet partim ex Manifesta Scripturæ S. assertionem. Prov. 8. 15. partim à Judicii Divini administratione: Deut. 1. 17.

II. Hinc potest Christianus in N. T. salvâ Conscientiâ Magistratum gerere, & ejusdem Regimini sese submittere.

III. Cui omnes & singuli, qui in ea Regione, cui Magistratus præest, versantur, cujuscunq; sint conditionis sive proceres, s. nobiles, s. plebei, s. Politici, s. Ecclesiastici subditi esse debent.

### *Ad Quest: 18. 19. Not:*

1. Corellatum Magistratus esse subditos, quorum nomine intelligitur multitudo hominum quæ regitur in Th. præcedenti expressa; 2. Obedientiam Magistratui à subditis debitam certos ac determinatos habere limites; 3. Mandata Magistratus esse vel pia, licita, bona, æqua; vel aperte impia, illicita, mala & iniqua, Conclud.

I. In omnibus quæ non pugnant contra Deum & charitatem proximi magistratui Politico optemperandum.

II. Quivis enim Subditorum debet Magistratui honorem & reverentiam, Subjectionem & Obedientiam, Censuram & Tributa, & Preces ac Vota, nempe ob Dei Voluntatem & magistratus dignitatem, necessitatem ac Utilitatem.

III. Et quidem non tantum Fidelibus, justis & piis, sed etiam infidelibus, injustis, impiis & iniquis, tum propter iram Dei, tum propter conscientiam.

IV. In illis verò quæ sunt contra Religionem, Pietatem & conscientiam libertatem, adeoq; Legem Divinam, non tenentur Subditi obedire, ob Divinam prohibitionem, Exemplorum passim adductionem & alieni muneris usurpationem.

### *Ad Quest: 20. Not:*

Potestatem magistratus in tribus consistere, (1) in ordinando, ut Leges honestas ferat, (2) in judicando, ut juxta easdem justitiam administret. (3) in vindicando, ut bonos præmiis, malos suppliciis afficiat; Hincq; potestatem Legislatoriam; Judicatoriam, & punitivam esse, Conclud:

I. Datur Potestas Magistratui s. Politica, quod patet ex Scripturæ S. dictis, honorificis encomiis, Regum &c. exemplis, & rationum momentis.

II. Quæ tamen non est absoluta, illimitata & indeterminata, quasi Magistratui liceat, quod libeat; sed ad normam & Leges superioris alicujus potestatis restricta.

*Ad Quæst. 28. & seqq. Conclud.*

- I. Ira & vindicta simpliciter in Quinto Præcepto non prohibetur, sed tantum privata ex affectu malo profecta.
- II. Ergo Magistratui Politico licet Legum transgressoribus pœnas pro ratione delicti irrogare.
- III. Ita ut non peccet extremo supplicio fontes & sceleratos è medio tollens.

*Ad Quæst. 31. Notando:*

- I. Non quæri de Bello Spirituali, quod Spiritus noster gerit adversus carnem, Satanam & mundum Eph. 6. 12. Sed Corporali, quod armis corporalibus adversus hostes externos geritur. Neq; 2. quæri de bello injusto, quod ex ambitione &c. sed Justo, quod ex certis causis suscipitur, Concludimus:
  - I. Ad officium magistratus pertinet sedulo providere, ut subditi ab hostium injuriis securi ac liberi tranquille vivant.
  - II. Quod si verò Hostes Pacem Reip. turbare & Subditorum incolumitatem labefactare conantur, licitum est adversus illos bellum gerere.
  - III. Verum non temerarium, injustum, non necessarium: sed justum, legitimum & necessarium.
  - IV. Ad quod requiritur (1) Magistratus Bellum indicentis & suscipientis auctoritas (2) Causarum ob quas suscipitur, ut sunt justitia & æquitas, necessariam defensionem, justam vindicationem includens, ponderositas. (3) Modi legitimi ad quem Pietas, æquitas &c. pertinent, determinabilitas, (4) Finis boni, ut Pacis acquisitio & Reip. conservatio, æquitas.

*Ad Quæst. 45. Notando:*

- Nomen Cœlibis accipi vel *Latè* pro eo, qui extra Matrimonium vivit, sive caste vivat, sive concubinas habeat, sive sit Juvenis sive Virgo, s. viduus, s. vidua; Vel *Strictè*, pro eo, qui extra Conjugium caste vivit, Conclud:
- I. Cœlibatus purus & castus simpliciter non est improbandus: sed non nisi in Personis ad eum idoneis probandus.
  - II. Non tamen cum contumelia Conjugii, quasi *vel* Castitas in Conjugio non sit, *vel* apud Deum in majori gratia sit quispiam propter suum cœlibatum.
  - III. Utraq; enim Castitas in sensu absoluto h. e. in se & per se bona ac sancta est: quanquam in sensu comparato h. e. si exteriora commoda spectes, melius

- melius faciunt qui Virginitatem servant, quam qui nubunt 1. Cor. 7. 38.
- IV. Adeoq; Cœlibitus Conjugio præferendus, *partim* propter instantem vel præsentem necessitatem 1. Cor. 7. 26. *partim* propter majorem vitæ tranquillitatem 1. Cor. 7. 28. *partim* propter majorem serviendi DEO commoditatem 1. Cor. 7. 32.
  - V. Ad quem tamen voto aliquo, sive Lege Ecclesiastica si sponte suscepto, nemo hominum adstringi potest ac debet.

*Ad Quæst. 26. Supp:*

1. Quod Conjugium sit aliud Legitimum, quod juxta Leges matrimoniales instituitur; aliud Illegitimum, quod sit modo contrario. 2. Quod sit vel Corporale, inter Maritum & Uxorem Gen: 2. 24. vel Sacramentale, inter Christum & Ecclesiam; vel Spirituale, inter Deum, & animam fidelem 1. Cor. 6. 17. Vel Personale inter λόγον & assumptam naturam Humanam, Cant. 3. 11. 3. Quod Polygamia aut sit Successiva, quæ analogicè ita dicitur; aut Simultanea; quæ est duarum vel plurium Uxoribus uno eodemq; tempore in uno thoro Conjugali cū uno Marito cohabitatio; 4. Quod Consensus h. l. nō intelligatur illegitim⁹, sed legitim⁹, qui debet esse licitus, honestus, justus liber, verus, mutuus & externus, si non semper (ex parte Parentū) individualis, tamen vel Specialis vel Generalis: si non expressus, tamen tacitus; 5. Quod indissolubilitas hæc non intelligatur ratione Sacramentalis obligationis, sed ratione Divinæ ordinationis & copulæ carnalis, quæ quidem per se ex Dei Dispositione est indissolubilis: ex accidenti tamen *vel* per adulterium, *vel* per maliciosam desertionem solvitur, de quo in *h. s.* 6. Quod finis alius sit verus, alius putativus, np. ut sit Sacramentum. Ubi non quæritur (1) an Conjugium voce ista generaliter accepta sit Sacramentum: nec (2) an in ordine isto sanctè possint Conjuges vivere: nec (3) an Deus Conjugibus gratiam suam impertiri velit: sed (4) an Conjugium in N. T. sit signum conjunctionis Christi cum Ecclesia & Symbolum Religionis, cui sit annexa promissio gratiæ justificantis &c. Conclud:
  - I. Conjugium est conjunctio à DEO instituta, quod ex Conjugii ordinatione Gen: 1. 26. c. 2. 18. & ex ordinis hujus post lapsum consummatione Gen: 3. 15. patet.
  - II. Eaq; unius Maris & unius Fœminæ, quod & primæva Conjugii institutio Gen: 1. 24. & institutionis Divinæ in N. T. repetitio Matt: 19. 4. & evidens Ratio innuit.
  - III. Legitimè consentientium, quod omnium calculus firmat.
  - IV. Et quidem indissolubilis, tum Divinâ institutione, tum Conjugii in jure Civili tradita definitione, confirmante.

**I.** In mutuum adiutorium & Sobolis procreationem, quod ex Scripturae oraculis Prov. 13. 22. ex Patrum dictis, iurium decretis & Saniorum Gentilium pronuntiatis, clarum est,

### Hinc inferimus,

- I.** Ergo Conjugium est Status à DEO sancitus & ordinatus adeoq; Sanctus & DEO gratus.
- II.** Ergo Bigamia vel Polygamia successiva est licita, simultanea vero illicita.
- III.** Ergo Consensus non tantum contrahentium, sed etiam Parentum ad Conjugium necessarium requiritur.
- IV.** E. Conjugium, & si in se ac per se sit indissolubile, propter adulterium tamen solvi potest, adeoq; datur & in N. T. Divortium proprie dictum, h. e. quoad thorum & quoad vinculum.
- V.** E. Conjugium, quia institutum est in Sobolis procreationem & mutuum adiutorium, non est N. T. Sacramentum proprie dictum.

### Ad Quæst. 48. Supponendo,

- I.** Personas contrahentes S. materiam conjugii non debere esse improportionatam, ut Angeli; sed proportionatam, ut Homines, sed non naturam inepti, vel casu impotentes. 2. Non quæri: An omnes Ministri actu vel Potentia tales uxorati esse debeant, sed an iure Divino Cœlibatus ordini sacro possit imponi, Matrimonium vero adimi, Concludit.
- II.** Conjugium omnibus illis, qui se ad illud aptos natos esse sentiunt, & Cœlibem vitam sine castitatis suæ periculo transigere non possunt, cuiuscumq; sint Sexus ordinis & dignitatis, est institutum.
- III.** Adeoq; Clericis, Sacerdotibus & aliis Ecclesiæ Ministris licitum est uxores reducere & in conjugio vivere.

### Ad Quæst. 55. Observo:

Media quibus divitiæ absq; peccato colligi possunt esse tria: Hæreditatem, sed modo legitimo, non doloso acquiritam Num: 27. 8. Laboris assiduitatem, quod etiam Ethnici agnoverunt, dicentes: Dii &c. Contractus æquitatem, ut emptio, venditio, Concludit:

- I.** Contractus & Negotiationes, si iusto modo & legitime perficiantur in & per se peccatum non sunt.
- II.** In quo tamen sequentia observo: (1) ita circa eundem occupari debemus, ne potiora tempore cultum DEI negligamus Mat: 6. 33. (2) Omnia circa

quæ instituuntur, ut Vana æstimentur 1. Cor: 7. 80. (3) Fraus & impostura omnis vitetur 1. Thess: 4. 6.

### Ad Quæst. 56. 57. 58. Supp:

- I.** Usuram aliam esse mordentem, quæ ultra conditionem æquitatis vel Christiane charitatis debitorem premit; aliam retribuentem, quæ ex gratitudinis & retributionis officio beneficium creditoris excipit; 2. Mutuum aliud esse Eleemosynarium, in quo census & fors condonatur, aliud gratuitum, in quo absq; censu fors repetitur; aliud Usurarium, quo proximus gravatur &c; aliud Compensatorium, quod ob erogatam pecuniam præter sortem à proximo, non extreme paupere, nec indigente, sed divite &c. exigitur, Concludit;
- I.** Lucrum quod à debitore extenuato ultra Sortem tantum ob officium mutationis exigitur, illæsa charitate accipere non est permittum.
- II.** Iustum tamen & æquum est, ut alter mutuantis dispendium nolit, sed æqualem, ob beneficium præstitum & neglectum suum commodum, recompensationem ei conferat: adeoq; census annuus, sed spontaneus, æquus, licitus & publice receptus, est iustus.

### Ad Quæst. 60. Supp:

Usus divitiarum esse vel Prodigalitatis, quo in commune sine discrimine projiciuntur; vel Tenacitatis, quo domi asservantur; vel liberalitatis, quo Eleemosynæ ex illis erogantur, egestas alterius pro virili sublevatur &c. Concludit:

Licitum est Singulis Christianis Dominia eaq; distincta habere; sed tamen fontes eorum foras derivare &c.

### Ad Quæst. 71. Supp:

- I.** Executionem Legum Spectari, tum in Judiciis, ut juxta earum normam sententiæ ferantur: tum in Suppliciis, ut mali puniantur, boni defendantur. 2. Legitimum Judicium esse varium ab usum, vel ratione causæ Impulsivæ, dum ex malivolentia &c. vel ratione Materiæ ob res leves &c. vel ratione Formæ, per convicia &c. vel ratione Finis, ob adversarii ruinam instituuntur, Concludimus.

Licitum est Christiano Proximum in Judiciis Forensibus accusare, & quandoq; contra eundem testari.

### Ad Quæst. 84. Supp:

- I.** Concupiscentiam esse vel Spiritualem, quæ Spiritu bona Cœlestia; vel

Naturalem, quâ instinctu naturali bonâ externa; vel Illegalem, quâ illicito carnis desiderio Legi repugnantia, desideramus. 2. Concupisc. confid. vel quoad actus *elicitos*, ut concupiscere & aversari absolute; vel quoad actus *imperatos*, ut restricta ad hoc objectum, nempe malum vel bonum. 3. Non quari h. l. (1) an Conc: cui accedit consensus, delectatio & persecutio sit peccatum: nec (2) an rebellio carnis contra Spiritum sit poena peccati Orig. nec (3) An peccati Originalis reliquæ possint dici vulnera naturæ: nec (4) An illi concupiscentiæ motus damnent actu homines coram DEO: sed (5) An concupiscentia in renatis post Baptismum reliqua, ex se & suâ naturâ, remoto gratiæ divinæ umbraculo sit peccatum cum Lege Divina pugnans, & si propter Christum renatis non imputetur? Concludimus:

I. Datur Concupiscentia duplex, Originalis & Actualis.

II. Quarum etiam Originalis est peccatum propriè tale.

**Hactenus de natura LEGIS.**

## CONSEQUENTIA LEGIS.

*Ad Quæst: 2. & seq: Includ: Supp:*

1. Impletionem Legis esse vel Pharisæicam & Christianam; vel Propriam & imputatam; vel perfectam & imperfectam; vel inchoatam & consummatam; vel operum vel Fidei; 2. Hominem considerari in Statu Naturæ vel institutæ vel destitutæ, vel reparatæ, vel glorificatæ; 3. aliquid esse impossibile vel naturâ, quod absolute ratione sui impleri non potest, vel naturæ; quod in certo statu tale est, Conclud:

I. Homo in Statu Integritatis perfectè Legem DEI implere potuit. Quæst: 2.

II. In Statu verò Corruptionis neq; Regenitus neq; Irregenitus implere potest Quæst: 4.

III. Sed perfectissimam illius Impletionem habemus in Christo, cujus satisfactio credentibus vera fide ad justitiam imputatur & ab iisdem nova Obedientia demonstratur. Quæst: 5.

IV. Neq; verò DEUS injustus est, quod impossibilia à nobis in Statu naturæ destitutæ exigat, ob rationem sub Quæst: 6. positam.

*Ad Quæst: 9. Notando,*

1. Aliud esse causæ primæ & secundæ Subordinationem, aliud vero secundæ à prima exorbitationem. 2. Actionis principium esse vel Universale, quod DEUS, vel commune quod natura; vel Singulare, quod homo. 3. Immediamentum fieri posse, aut legis positione, aut poenæ Comminatione, aut

efficaci retractione. 4. Volunt: Conf: Vel reduplicative, vel Specificative. Concludimus.

Licet sine Providentia DEI nihil evenire possit, DEUS tamen autor & Causa peccati nullo modo est: sed Diabolus, & perverfa hominis voluntas.

*Ad Quæst: 13. Observando,*

1. Peccatum Originale esse vel Originans, quod ipse actus Adami, quo mandatum transgressus est; vel Originatum, quod est constitutio Status Adamitici per actum illum contracta, reatum ad peccandum includens, Item,

2. Vel Naturale S. Speciei, quod totius Humanæ naturæ; Vel Individuale S. Individui, quod personæ Adami & Evæ; 3. Repræsentationem dari vel Ethicam; vel Physicam, Conclud:

I. Datur Peccatum Originale. Quæst: 13.

II. Estq; Peccatum propriè dictum. Quæst: 13.

III. Non quidem ipsa Substantia hominis, sed accidens in natura humana hærens. Quæst: 14.

IV. Ab Adamo per carnalem Generationem in omnes posteros propagatum. Quæst: 13.

*Ad Quæst: 17. Notando:*

1. Peccata peccatis graviora esse, posse intelligi vel ratione Objecti simpliciter: vel ratione Subjecti peccantis, aut ratione modi & Circumstantiarum, quæ non ipsum actum reatus; sed modum tantummodo variare possunt. 2. Peccatum considerari vel Formaliter quoad suum actum ex Lege Divina æstimatum; Vel Materialiter, quoad conditionem Personæ peccantis, in iudicio DEI stricto aut misericordiâ temperato, Concludimus.

I. Omnia Peccata ex se & sua natura sunt mortalia.

II. Possunt tamen, quædam sano sensu dici Venialia, nempe vel ex parte Objecti, Gratiæ DEI, qua peccata infirmitatis teguntur Psal: 32. 1. Mortis Christi, ob quod nulla est &c. Rom: 8. 1. & gratiosæ Spiritus S. inhabitationis; Vel ex parte Subjecti, quod peccatorum remissio; seria de illis contritio, carnis mortificatio &c.

III. Septenarius ergo Peccatorum mortalium numerus, voce Saligia à Pontificiis expressus, Superbiam, Avaritiam, Luxuriam, Iram, Gulam, Invidiam & Acediam comprehendens, est insufficiens.

*Ad Quæst: 19. Notando:*

Peccatum in Spiritum S. dici non in sensu exclusivo, neq; quidditativo, neq; Hypostastico, sed discretivo, relativo, Symbolico & effectivo, Concludimus.

I. Datur omnino Peccatum in Spiritum S. Specialiter & proprie sic dictum.

II. Quod est, ratione actuum Materialium, Veritatis caelestis agnitio, agnitæ approbatio, approbatæ interior gustatio; ratione verò Formaliū voluntaria veritatis Cælestis agnitæ, approbatæ & gustatæ abnegatio, Hostilis oppugnatio, malitiosa persecutio, horrenda blasphematio, exitiosa in blasphemis continuatio & damnata omnium, mediotum, salutis repudiatio.

III. Estq; Irremissibile, non quidem ob absolutum aliquod Dei decretum, neq; ob gratiæ Divinæ defectum, neq; ob peculiarem Christi Scopum, neque ob Verbi & Sacramentorum Imperfectum Statum neq; ob intermissum seriæ Vocationis actum; sed ob subjecti modum, nempe malitiosum omnium mediōrum salutis contemptum & horrendum in blasphemis exitum.

IV. Nemo tamen facile, dum adhuc in vivis est reus hujus peccati statuentus est

*Ad Quæst. 20. & 21. Supponendo:*

I. Doctrinæ de Pœnitentia necessitatem cum pari utilitate esse conjunctam. 2. Pœnitentiam sumi h. l. in sensu Orthodoxo, ut denotat mutationem Hominis accidentalem: non verò Heterodoxo, ut notat Satisfactiones Papisticas &c. 3. Non quæri (1) An Pœnitentia sit à Deo præcepta? nec (2) An Deus in gratiam pœnitentes recipiat? nec (4) an absolutio sit divinitus instituta? Sed (5) an dolor de peccatis admissis reduplicativè, singulorum peccatorum enumeratio, accedente imprimis Sacerdotali absolute, sint causa, quæ reconciliationem coram Deo impetrent? Conclud:

I. Datur Pœnitentia h. e. Pœnitentibus post lapsum patet ad Deum reditus.

II. Quæ non est Sacramentum N. T. proprie dictum.

III. Sed est Hominis peccatoris, ex Divina Lege agnita &c. Quæst. 21.

*Ad Quæst. 22 & seq. Observan:*

I. Contritionem aliam esse Salutarem verè Piorum; aliam Exitialem impiorum. 2. Fidem aliam Veram; aliam Falsam; aliam Generalem; aliam Specialem. 3. Non quæri h. l. de confessione Publica, quæ tota communio præeunte voce Ministri confitetur peccata: neq; de Privata coram ota Ecclesia, qua privatus quis defectum suum, quo Ecclesiam offendit publicè confitetur: neq; de Confessione coram Ecclesiæ Ministro, qua coram eo vel in genere, vel in Specie peccata confitetur & veniam deprecatur:

nec de

nec de Confessione coram proximo: Sed de Confessione Papali auriculari, qua peccatorum omnium quoad Circumstantias enumerationem, necessariam, meritoriam Deo & Sanctis facienda statuunt; 4. Non agi etiam h. l. de Satisfactione Ecclesiastica in primitiva Ecclesia usurpata; nec privata, qua proximo verbis vel factis læso per offensæ deprecationem satisfacimus; sed Pontificia, qua expianda sit culpa peccati non remissa, Conclud:

I. Nova Obed: propriè loquendo non est pars Pœnitentiæ, sed effectus.

II. Neq; Contritio sensu Pontificiorum accepta, quatenus nempe causa remissionis Peccatorum esse existimatur.

III. Neq; Confessio Particularis auricularis.

IV. Neq; Satisfactio operis, quæ Pœna peccati adhuc debita solvitur.

V. Sed Contritio seu Orthodoxo accepta & Fides.

*Ad Quæst. 30. & seq. Supponendo.*

I. Perfectionem aliam esse ex Fide; aliam ex Lege; Item aliam Comparatam, aliam Absolutam: 2. Necessitatem vel Præcepti & præsentia; vel medii & influentia. 3. Conditionem vel rei acquirendæ; vel ipsius acquisitionis. 4. Promissiones, vel Gratuitas, ut Evangelicæ, vel Conditionales, ut Legales, Conclud:

I. Renati Bona Opera purè & perfectè bona præstare non possunt: sed imperfectè bona carnisq; vitii contaminata.

II. Quæ non sunt necessaria ad salutem & Justificationem, acquirendam.

III. Neq; ad conservandam.

IV. Neq; coram Deo promerendam.

V. Sed necessaria sunt necessitate mandati, Ordinis debiti, Consequentia & Hypotheseos.

II.

**BIBLICUM.**

§ 1. Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit Homo ad omne opus bonum instructus. Verbis istis Paulus Apostolus 2. Tim: 3. 16 17. summam Scripturæ S. utilitatem & necessitatem vivis coloribus depingit, & velut Apellæo penicillo adumbrat. Illam scilicet esse eruditionis Cælestis Doctrinam, quæ & edocet, & præcipit & pollicetur & minatur:

C

tur:

Minatur supplicia, pollicetur præmia, præcipit bona & edocet vera  
vera sine fallacia, bona sine malitia, præmia sine miseria, supplicia sine ini-  
iustitia. His moti & ceu Stimulis quibusdam incitati, Nos quoq; studio  
Biblico certas consecravimus horas, cujus examen, cum ob angustiam rerum,  
supellectilem Totum non liceat luci exponere publicæ, primum duntaxat  
ex Evangelio Johannis. Caput sistimus, reliqua Evangelistarum præceden-  
tium Examinatorem Judicio committentes.

§ 2. Hoc autem Evangelium potest considerari duobus modis: Præco-  
gnitivè & cognitivè.

§ 3. Præcognitiva tractatio continet 8. 1. Nomen, quod habet ab autore.  
2. Autore, qui (Secundarius) Johannes, ratione ortus Filius Zebedæi & Salomes,  
ratione Status primùm Piscator, deinde Apostolus: ratione verò obitûs, an-  
ætatis 89. p. dublatus. 3. Autoritatem, quæ Divina. 4. Tempus: Scri-  
psit an. post Christi Ascensionem 32. 5. Summam: descripsit gesta Chri-  
sti. 6. Partitionem: Exhibet (1) Christi personam & officium Cap. 1. ad  
v. 40. (2) Ejus gesta ad finem: 7. Chronologiam: Complectitur Hi-  
storiam tot annorum, quot Christus vixit. 8. Interpretes, quorum *ex Pa-*  
*tribus*, Hieronymus, Hilarius &c. *Ex Lutheranis*, Lutherus, Hunnius &c.  
*Ex Pontificiis*, Arias Montanus &c. *Ex Calvinianis* Piscator &c. Vid. Theol.  
Exegeticam Friedlib.

§ 4. In cognitiva primi Johannis Evang. Cap. tractatione est.

## I. Summa.

Christus Homo DEUS est monstrante Johanne videtur.

## II. Partes.

1. Æternæ Deitatis Christi demonstratio à v. 1. ad 6.
2. Personæ Christi & Johannis distinctio à v. 6. ad 14.
3. Filii DEI *λογος* vera incarnatio à v. 14. ad 19.
4. Johannis de Christo testificatio à v. 19. ad 40.
5. Apostolorum quorundam vocatio à v. 40. ad ult.

## III. Usus, contra Socinianos &c.

Ex v. 1. 3. & 10.

Ergo Christus & Filius DEI est verus & æternus DEUS.

## Ratio.

I. Ex v. 1. In Principio erat Verbum & Verbum &c. Hinc Arg: (1)

Quicunq;

Quicunq; jam tunc in Principio existit, cum mundus crearetur, ille est ve-  
rus & æternus Deus. Sed Christus & Filius Dei &c. E. Major: Quia inter  
Deum increatum & mundum creatum nullum est intermedium E. prius-  
quam mundus crearetur, nihil erat nisi Deus. (2) Verbum h. l. est verus  
& æternus Deus.

Filius Dei est illud verbum E.

Utraq; præmissarum in versu citato.

DICES I. Neg. Maj. Quia (1) vox Dei non est h. l. nomen Naturæ. Quia  
(2) voci Deus Patri attributæ præfigitur in originali articulo & non  
verò additæ Christo E. huic attributum, non habet eandem signifi-  
cationem. Quia (3) per Verbum intelligitur decretum de Venturo Re-  
demptore; non vero Persona. & ad Prob: 1. Petitur Principium si  
exclusivè intelligatur. Ad 2. Neg: Supp. quasi vox *θεος* sine articulo  
posita verum Deum non significet: contrarium pater ex Mat: 4. 4.  
Joh: 1. 18. Quæres: Cur ergo h. l. omittitur? & Non ad Deitatis  
Filii labefactionem: sed prædicati designationem. Ad Prob: 3.  
Contrarium ostendunt attributa; ut existentia, v. 2. Effecta; ut crea-  
tio, v. 14. & carnis assumptio, v. 14.

DICES II. Verbum Deus est, non ratione Substantiæ; sed Efficientiæ; quia  
per illum est revelatum Verbum Dei. & Exclusivè Neg. Inklusivè  
Conc: Sed Neg. Conf: Quia Subordinata non sunt opponenda. De-  
inde E. & Spiritus S. & Homines & Angeli, *λογος* dicentur ob vo-  
luntatis Diviniæ revelationem: imò ipse quoq; Pater, quia per Mo-  
sen Prophetæ &c. voluntatem suam patefecit.

DICES III. Atqui absurdum est, illum, qui dicitur esse apud aliquem, esse  
idem cum eo, apud quem est: Sed Verbum h. l. est apud Deum:  
E. quia hic Deus, ille non est. & Quoad Identitatem Personæ, C.  
Maj: Essentiæ N. Quia e. g. Homo est apud alterum, licet non sit ea-  
dem Persona, est tamen Homo, & idem cum altero Specificè.

DICES IV. Sed Verbum hoc dicitur fuisse in Principio E. non Deus: quia  
id repugnat æternitati. & Aliud est factum esse in Principio; aliud  
existisse in Principio, quo res cum tempore esse inciperent. De pri-  
ori C. Conf. sed N. Ant:

## Ratio.

II. Ex v. 3. Quia per Verbum hocce omnia creata sunt E.

DICES I. N. A. Quia h. l. non habetur creata sed facta sunt. & Sed fieri h. l.  
idem est, quod creari Colossi. c. 1. 16.

DICES II. Et si; tamen non ad creata, sed quæ ad Evangelii annunciationem & confirmationem pertinent refertur. R. Contrarium arguit p. nota Universalis omnia; p. addita exclusiva, & sine.

DICES III. Verum nota illa non est h. l. universalis, sed particularis, ad Evangelium, seu: foedus restricta. R. Neg. Quia Subiecta Materia h. l. ab initio sunt Creaturæ, quod tum loci paralleli collatio y. 10. ostendit.

DICES IV. In his tamen non est intelligenda Creatio prima quæ omnium: è nihilo productio: sed secunda, quæ omnium per Christum restitutio. R. N. Quia Creatio, quæ facta est in principio absolute est prima: atqui de tali h. l. y. 1. E. Quia hanc distinguit à renovatione y. 8. 9. & 12. E. distincta non confundenda.

DICES V. Atqui per ipsam omnia facta esse dicuntur E. & si esset causa creationis, tamen tantum secunda. R. N. C. Quia & per Patrem sunt omnia Rom. 11. 36. neq; tamen est causa creationis secunda. Vox ergo Per non innuit agendi diversitatem; Quia quæ Pater fecit, eadem & Filius Joh. 5. 19. Sed Personarum Divinarum ordinem; quia à Patre sunt omnia, ut prima Persona; & per Filium omnia, ut secunda, à Patre geinta.

### Ratio.

III. Ex y. 10. Quia per Christum Mundus factus est E. Conf: Quia Mundi factura est Opus solius DEI. Confirmatur ex y. 9. Quia est lux illuminans omnem hominem E.

DICES I. Mundum non intelligi ibi Magnum seu: proprie pro Machina, Cœli & Terræ omnibusq; in ea contentis: Sed parvum s. Metonymia: per Meton: Subiecti pro adjuncto, nempe pro homine. R. In tertio Commate C. in duobus prioribus N. Quia Evangelista h. l. duos beneficiorum locos, quos antea narravit repetit, unum gubernationis, alterum verò Creationis.

DICES II. Lucem dici non Quidditative, sed Effectivè. Item: non Naturalem, sed Spiritualem. De prioribus autem valet Conseq. R. Atqui à Mundi creatione illuminat homines, qui unquam in mundum venerunt E. Quia hoc opus non nisi eius, qui Essentialiter Lux. Ad Secundam: Vitam habet in Seipso Joh. 5. 21. E. & lucem naturam. Deinde: Vita & Lux Spiritualis digniora sunt, vita Naturali; quia majus recreare, quàm creare, quod patet ex missione Filii E. concessa priore posteriori denegari nequit.

### IV.

### IV.

### ABUSUS.

Ex y. 3. Ariantus: E. Spiritus S. creatura; Quia per Filium omnia facta E. & Spiritus S. R. O. S. P. F. E. absolute N. Quia h. r. & Pater esset factus; determinatè, quæ facta sunt C. Sed N. Conf: quia Spiritus S. in numero eorum non est.

Ex y. 8. Schmaltrius, E. Johannis Doctrina non est norma vivendi; quia non erat Lux illuminans Hominem. R. Determinatè, de qua scil. v. 4, & 5. C. absolute N.

Dices: Cur ergo negat se h. l. esse lucem? R. Ut innotuat differentiam inter Dominum & Servum; quia plurimi eundem Christo vel æquabant, vel etiam præferebant.

Ex y. 14. Euthyches: E. Humana natura post unionem in Divinam est conversa; Quia Verbum Caro factum est. R. Factum est mutatione carnis in Verbum N. Assumptione N. C. Hinc Gregorius: Verbum Carnem dicimus, non immutando, quod erat, sed suscipiendo, quod non erat.

Ex y. 17. E. Evangelii gratia in V. T. non erat; quia per Jesum Christum facta est. R. In complemento C. in Promissione N.

Ex y. 30. E. Johannes Evang. non predicavit de Christo; quia illum ignoravit. R. Simpliciter N. A. certo respectu nempe ratione externæ Figuræ N. C. Quia novit illum ratione officii, utpote, qui Auditores suos ad Christum, seu Sponsum Ecclesiæ remisit.

Ex y. 33. Enjedinus: E. Joh. Bapt. non baptizavit in nomine JESU; quia illum non noverat, antequam super Christum &c. descendisset. R. Dist: Inter Notitiam Sensus, de qua C. Ant. & Mentis, de qua N. Quia in utero adhuc salit Luc. 1. 41, & predicavit Baptismum Poenitentiae in nomine eius &c.

### V.

### CONTRADICTIONE.

Ex y. 3. Ubi sine DEI Filio nihil factum esse dicitur: facta

amen est mors Sap: 1. 13. *℞.* Illud de *ῥοῦν* vis intelligendum: Mors autem est defectus Entis.

Ex *ψ.* 7. Ubi Johan. dicitur venisse, ut de Christo testaretur: cum tamen Johan. 5. 34. Christus negat se testimonium accipere. *℞.* Illud intelligendum respectu nostri, ut Homines per ipsum crederent. Hoc autem ratione Christi, qui quod erat Messias, non habuit ab homine, aut à Johanne, Sed à Patre.

Ex *ψ.* 9. Ubi omnes à Christo illuminari dicuntur, cum tamen pauci illuminentur. *℞.* Illud intell. ratione Intentionis. Hoc utem non sequitur in executione ob incredulitatem; quia Mulus, magis amat tenebras, quam lucem.

Ex *ψ.* 18. Ubi dicitur, DEUM neminem vidisse, vidit tamen, Jacob, Moses &c. *℞.* Viderunt quoad Similitudinem & Speciem, non vero quoad ipsam Essentiam & Quiditatem, de quo Johannes.

## VI.

### QUÆSTIO.

I. ex *ψ.* 14.

An Filius DEI verè sit incarnatus. Aff. Quia ipse est *ὁ λόγος*, qui caro factus est v. 14; incarnari verò & carnem fieri sunt idem.

*Dices* I. Per Verbum non intelligi h. l. DEI Filium, sed Decretum. *℞.* Falsum id; *tum* quia vocatur Unigenitus à Patre v. 14 *tum* quia appellatur Christus Jesus v. 17. *tum* quia dicitur Filius DEI Gal: 4. 4.

*Dices* II. Sed voce *ῥε λόγος*, nunquam designatur Divina Persona, quæ ante assumptam Humanam existeret, verum nudus Homo. *℞.* Contrarium patet ex Argumentis (1) Theoreticis, p. ab existentia veritate, erat, p. ab æternitate v. 1. (2) Practicis ab opere creationis v. 3. reparationis v. 5. desumptis.

*Dices*

*Dices* III. Atqui h. non habetur DEUS incarnatus est: Sed Verbum caro factum est. *℞.* Perinde est sive DEUM, sive Verbum dicas esse incarnatum.

## II.

Ex *ψ.* 14.

An *λόγος* sit extra Carnem suam assumptam? N. Quia Caro factus est, h. e. personaliter unitur carni suæ v. 14. E. Conseq. Quia unio realis requirit Unitorum præsentiam.

*Dices*, cum Socino: I. Dist: inter *λόγος* quoad Divinam naturam Confid: & quoad Personam. Posteriori modo est incarnatus! *℞.* Petitur Principium exclusivè intelligendo. Invertimus: Persona Filii Dei à Divina *ῥε λόγος* natura non differt realiter E. quia persona incarnata etiam naturam sequitur esse incarnatam.

*Dices* II. Atq; Natura est infinita E. nulli concludi potuit. *℞.* Atqui etiam *ὑπόστασις* est infinita E. si ob infinitatem Divina Natura non potest incarnari, neq; Persona, Deinde, non dicimus Divinam Naturam *ῥε λόγος* in carne conclusam, sed eam cum carne unitam, non quidem Physicè, verum Hypotasticè.

*Dices* III. E. sequitur etiam Patrem Naturam nostram assumisse; Quia natura quæ est in Filio, est eadem numero in Patre. *℞.* Non sequitur id. Dist: enim inter naturam absolutè, ut Patri Filio & Spiritui S. communis est: & relatè ut est *ῥε ὁπῶς ὑπάρχει* *ῥε* determinata. Posteriori modo est incarnata.

SSSS

## L O G I C U M.

Loco cujus ponuntur Canones Log: Danniha-  
weri &c. cum aliquot Controversiis, quas  
sub incudem dare tenuis rerum  
supellex non permisit.

Gloria fit Patri, fit Nato Gloria, Sancto  
Gloria Spiritui, Triadi fit Gloria sacrae!

A M E N.

CONCLUSIONES THEOLOGICAE  
ARTICULI

DE

## MYSTERIO S. S. TRINITATIS

QUAS

EX

Publicis in Gymnasio Leutschoviensi Praelectionibus  
excerptas

in Examinis Autumnalis Symbolum,  
Publicae Disquisitioni

*Tit: Dn. Dn. Inspectoris, Scholarcharum  
ceterorumq. Auditorum omnium ordinum Honoratissimorum,  
sub Divino Auspicio  
& Praesidio*

M. JOHANNIS SCHWARZII  
Dicti Gymnasii Rectoris ac P. P.  
demisse subijciunt

*& Respondentis & Opponentium Partes  
pro arbitrio Dn. Patronorum  
defensuri*

STUDIOSI THEOLOGIAE,  
In Auditorio Superiori D. Novembris

*Annus MDCC LXXII.*



LEUTSCHOVIAE,

TVDIS SAMUELIS REYHERI

T H E S I S.

**T**RINITAS Personarum in divinis est articulus fidei fundamentalis primarius, quo non plures, vel pauciores, quam præcisè tres, in unâ indivisâ essentiâ divinâ, & nominibus ( *sc. Patris, Filii & Spiritus S.* ) & characteribus hypostaticis ( *ut sunt: αἰωνυότης, γέννησις & ἐκπέρευσις* ) distinctas Personas; dignitate tamen, potentiâ & æternitate coæquales, Ecclesia orthodoxa firmâ fide credit & confitetur.

CONCLUSIONES.

Unde colligitur I. *Articulum hunc non nisi ex Scripturâ Sacrà veteris & Testamenti, siue conjunctim, siue disjunctim accepti, tanquã ex principio à prioritate, clare, distinctè & sufficienter cognosci, & contra quosc. hæreticos defendi posse, quod tamen negant quam plurimi:*

*Confessio.*

Et quidem constat, quàm (1) malè *Sociniani* hoc mysterium nudam traditionem humanam, hanq; fictam dicant, de qua nullum in Scripturâ S. extet testimonium. Ita sanè *Smalcium*: Quis ex Vet. T. homin. sensato dogma Trinitatis, quis Filii prææternitatem ostendet? Certe Judæi istis omnibus Scripturis fidem adhibebant, & tamen ista portenta (ita blasphemavit ille) prorsus ignorarunt. (2) Quàm stultè *Reckermannus*, qui principium cognoscendi S. S. Trinitatem præter Scripturam S. etiam naturam facit, ita, ut huic primas tribuat. Modestius quidem hæc de re loquuntur *Philippus Mornau*, & *Wolfgangus Musculus*: non parum tamen etiam rationi in hoc negotio tribuunt. Eandem a. tibiam inflant è *Pontificiis* quidam, ut *Raymundus Lullius*, qui seclusâ revelatione, solâ naturali vi intellectus mysterium Trin. demonstrari posse asseruit, aliiq;. Verùm, quæ vix similia sunt, argumenta esse putant. Ita adumbrant Trinitatem S. S. non verò probant tres affectiones unitæ, sc. Unum, Verum, Bonum, in eâdem Entis essentiâ: aut tria in Sole accidentia: sc. radius, lux & lumen &c. (3) Quàm versutè *Novatores*, qui in libris V. T. (verba sunt *Calixti*) quos instinctu Spiritus S. Prophetæ ediderint, non tam aperta animusq; convicentia dicta, quàm vestigia saltem quædam S. S. Trinitatis reperiri litigant; adeoq; insinuari potius mysteriū illud, quàm clarè proponi: Cum tamen contrarium facile ex Nū. 6. 22. 23. Psal. 33. 6. Psal. 45. 7. Et 63. Cap. 48. 16. Hagg. 2. 4. 5. Zach. 12. 10. aliisq; locis pateat: In quibus, etsi non in æquali, sufficienti tamè perspicuitate mysterium hoc notatur & ad cognoscendum proponitur.

*Non posse quempiam salvandum ullo tempore ullove modo Arrieanum hunc de S. S. Trin. ne ignorare quidem, nedum negare, nisi manifestam, salutis suæ facere velit, jacturam.*

*Confessio.*

Hoc autem negant non tantum *Photiniani*, veram in Deum & Christū fidem sine opinione S. S. Trin. consistere posse affirmantes; & *Arminiani* qui dogma de Trin. in divinis creditu ad salutem non esse necessarium expresse asserunt; verum etiam *Calixtus*, dum ad salutem sufficere existimat, si quis credat, unum esse Deum, qui & Pater sit, & Filius & Spiritus S.; etsi non penetret, quomodo una natura sit tribus Personis communis: imò exferre statuit, prius quàm persona à Patre prodiret, seq; manifestaret. unum cum Patre Deum in unitate illa absq; explicitâ distinctionis Personalis cognitione (intellige quomodo per notionem divinas, proprietates, relationes, persona & constituentur & distinguantur tum ab invicem, tum ab essentia divina) à fidelibus cultum & adoratum fuisse. Quo ipso apertè *Athanasii* Symbolo contradicit, quod hanc fidem Catholicam esse dicit, quæ creditur esse unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate citra vel Personarum confusionem, vel substantiæ separationem &c. Et quamvis non possimus, ideo, quod dona Gratiæ Divinæ in distinctis ratione graduum sint distincta; multo minus perfectam κατέληψιν; distinctam tamen & explicatam, tam necessitate Medii in ordine ad salutem consequendam, quàm præcepti, esse necessariam, credimus ac docemus: Vide 1 Joh. 2. 23. cap. 5. 1 &c. Rom. 10. 10. Matth. 28. 19. Joh. 14. 11. c. 17. 3. &c. Ex quo fluit indubie.

III.

*Nunquam non in Ecclesia N. T. etiam ab ipsis statim Apostolorum temporibus cognitum fuisse atq; creditum hoc mysterium.*

*Confessio.*

Illud autem nihil movet *Socinorum* cum suis sociennis, ut ne nostræ conclusioni contradicat, asserentè in Concilio N. e. no nequaquam Filio Dei ἐμμεσίον cum Patre tributam fuisse, cum ante illud nec cognita eadem, nec ab ullo Patrum tradita fuerit. Verum enim verò, si de modo loquendi & mysterium hoc proponendi disceptaret ille, sic nos sibi contradicentes non haberet, non nescios, ab aliis Tres in Deitate Personas, nunc ἰεὺς ὁμοίους, nunc πᾶσι nunc ἰσάρετες nunc Personas fuisse appellatas; idq; propterea, quod certæ Personarum appellationes in Sacris Lit. non

Smal  
tra Ra  
Conf  
in lib  
p. 28.  
Part  
maled  
log.  
oppo

Vide S  
ting. I  
Trin. p  
Andrea  
Syl. 4.  
ricum  
Meth. d

sint expressæ; sed quia substantiam dogmatis hujus impugnat, non possumus non istud rejicere atque damnare. Adde & hoc, quod non attendendum, quid statuerint Patres priorum trium seculorum, sed quam bene Christum, suam cum Patre *ὁμοῦσιον* contra Judæos, Joh. 5. & 10. Matt. 22. 45, defendentem fuerint secuti?

#### I V.

*Quod si igitur hoc pacto numerum non essentia, sed Personarum in divinis statuamus, non errabimus, quicquid etiam contradicant Scholastici.*

#### Confessio.

Non quidem numerum in sensu prædicamentali, qui & quantitatis Species, cujus unitates inter se essentialiter sunt distinctæ, & totum qualibet parte suâ majus est: quomodo Essentia divina in duabus vel tribus Personis major esset, quam in unâ, quod implicat; sed sensu transcendentali & Eminentiori seu purificato, prout multitudinē notat, qualis etiâ in affectionibus Entis, ut ut sic datur. Hic citra ullam in Essentiam divinam aut compositionem aut divisionem tantum insinuat; quod in una & simplicissima Dei Essentia non una, sed plures, determinatæ verò tres personæ realiter subsistant, quarum alia Pater, alia Filius, alia Spiritus S.

#### V.

*Ergo præter distincta hæc nomina, quibus Persona prima dicitur Pater, secunda Filius, & tertia Spiritus S., etiam suis hypostaticis proprietatibus; quæ reales quidam sunt conceptus certæ Personæ proprii, nec aliis communicabiles, distincta erunt Persona.*

#### Confessio.

Nec aliud nobis persuadebunt vel Anabaptista, quasi Personæ div. saltem repræsentatione differant, nō characteribus hypostaticis: sc. circa hoc negotium revocatur exorco Donatistarum error, quos ita docuisse, Augustinus & Epiphanius testantur, quia non tantum Scripturæ Sacræ dicta Joh. 5. 37. Gal. 4. 16, &c. quin & incarnationis & sanctificationis mysteria contrariū ostendunt; vel Sociniani, per personas distinctas saltem in Deo officia diversis nominibus insignita, intelligentes. Nam etsi quasdam in Personis qualitates non statuamus, aut ad minimum ab ipsa ali- quid distinctum, ideo, quod nihil sit in Deo, quod non sit ipse Deus: ne dum ut per modum Qualitatis seu Accidentis in ipsis aliquid concipi possit;

ut, tamen certos in divinis dari modos habendi essentiam, distinctas Personas inferentes, quarum quælibet personam ratione subsistentiæ & relationis designet, eique ita competat, ut quæ huic propria est, alteri nequaquam tribuat possit, quid obstat? Certe Filius non gignit Patrem, sicut Pater Filium, quia hoc est Character hypostaticus Patris. Improvidè autem loquuntur de hoc mysterio, qui per relationes personas distinguunt, hâc ratione quatuor Personas in divinis asserturi, uti quatuor sunt relationes: sc. Paternitas, Filiatio, Spiratio, & Processio. Quare præstat, ut proprietatibus distinguamus illas, quibus quidem non constituuntur (sicuti v. g. *ἀγεννησία* non est ipsa Persona Patris;) diversa tamen earundem origo latè insinuat, ut hoc propter Proprietates rectè dicantur. Tandem nec illorū probamus sententiâ, qui *ἀγεννησίαν* Patris alio nomine Paternitatem salutant, & *γέννησιν* Filii, Filiationem &c. Etenim, ut taceam *ἀγεννησίαν*, *γέννησιν* &c. aliquando absolute Personas determinare; esse verò patrem, Filium &c. cum relatione ad alias, etiam citra hoc omnino idem non est v. g. *ἀγεννησία* seu ingentum esse & Paternitas. Nam ut *ἀγεννησία* negat in Patre omnem modum procedendi ab alio, sive per generationem sive per processionem, cum connotatione cujus cunq; modi in divinis communicandi essentiam alteri personæ: ita licet Pater non genuisset Filium, tamen vi vocis potuisset dici *ἀγεννησας*: quia nec gigni, nec procedere potest; paternitas verò infert saltem proprietatem actualis generationis. Nam qui actu generat aut generavit, ille est Pater. Quibus ita positis Concluditur oppido:

Conf. L.  
Dist. 28  
P.

#### VI.

*Personas in divinis non distinguuntur ratione, sed realiter; non tamen realitatis Majoris, hoc est distinctione reali strictè sic dicta: qualis est inter rem & rem; v. g. inter Substantiam & Accidens, inter Petrum & Paulum, tanquam duo Individua; sed realitatis Minoris, h. e. analogicâ, qualis est etiam inter oppositas relationes, uti hoc loco.*

Confer  
sum in  
phys. C  
disting.

#### Confessio.

Proinde rejicimus (1.) qui personas in Deitate nuda esse officia statuerunt; de quibus supra: (2.) qui modalem differentiam hancq; reali oppositam hîc defendunt: non quidem, quasi omnis Modalis differentia realis sit, cum ad realem v. g. distinctio inter rem & rei modum inseparabilem, qualis datur inter Essentiam divinam & personalitatem, referri non

Vide Ke  
num i  
Theol.  
Maccor  
Tr. qu  
περὶ τοῦ

quod facile evincunt earum distinctio. (1.) appellationes & descriptiones (2.) proprietates (3.) operationes & (4.) apparitiones: Quibus incarnationis mysterium accedit, quo secunda persona exclusis cæteris sola incarnata est, quod fieri non potuisset, nisi realis distinctio inter personas Deitatis obtineret. Quod si verò quis *Virtualem* distinctionem urgeret, ita distinctionem rationis ratiocinatae asserturus, is non tam Subjectivè, quam objectivè illas distingvi, absurdè urgeret. Multo minus *essentialem* concedere possumus distinctionem, quæ Personæ S. S. Trinitatis, vel genericè, vel specificè, vel individuificè differunt, quorum neutrum adstrui potest, cum personæ hæc sint unius individuae & indivisæ Essentiæ, & in Deitate non sit *ἄλλοζ ἄλλο*, sed *ἄλλος καὶ ἄλλος*, h. e. alia Persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti.

VII.

*Quod si Ergo Essentiæ non differunt, quid impedit, ne asseramus, Personas Div. esse ἁμοσιᾶς ἁμοδιονύμους & ἁμοιωτίες: Essentiæ enim identitatem non potest non sequi identitas virtutum & durationis.*

*Confessio.*

Nulli autem movemur hîc Arrianorum odio, quibus adeo infensum fuit vocabulum *ἁμοσιᾶς*, ut Catholicos Concilii Nicensi vocarint Homousianos, falso prætexentes, quasi illud in Concilio hoc demum excogitatum atq; in Ecclesiam introductum sit. Videlicet, (ut rectè judicat Augustinus) non verbum *ἁμοσιᾶς*, sed vim verbi fugiunt, qui Filium Dei Patri *ἁμοσιῶν* saltem, minimè verò *ἁμοσιῶν*, h. e. Verum Deum esse distabant. Nam per *ἁμοσιῶν* positivè significatur (1.) nullam Personam alterâ esse Majorem vel Minorem (2.) Personas non habere se per modum Partium, quarum totum sit Essentia divina, quo sensu Deitas in Personis duabus vel tribus major esset, quàm in unâ, quæ tamen prorsus in se *ἁμείψιστος* est: (3.) Personas non esse certas formas, quibus Essentia Dei, tanquam materia quædam communis sit: sicuti plurium columnarum materia communis esse potest; quomodo Essentia Divina multiplicaretur. Verùm

ierhard.  
Th Loc.  
966.

Verùm *oppositivè* notatur, quod Personæ Divinæ non sint (1.) *ἰσότητος* sc. diversæ substantiæ, qualis sunt Deus & Homo (2.) *ἁνότητος* sc. unam Essentiam constituent, seu specificam, ut Petrus & Paulus in Homine ut sic, seu Numericam, ut corpus & anima in hoc Homine: quia Deus tanquam Ens purè independens, partes cōstituentes non habet: nec subjectivas nec essentialis, multo minus integrales. (3.) *ἀνίσταται*, quales dicuntur, qui suam Essentiam à se ipsis habent; Filius enim habet Essentiam suam à Patre per æternam Generationem, & Spiritus Sanctus à Patre & Filio per æternam spirationem. Et licet vocabulum hoc *ἁνότητος* in Scripturis Sacris non sit expressum, idè tamen rejiciendum non est, modo *διανοίως* in illis contineatur. Et annon Ecclesiæ integrè est quosdam sobriè adhibere Terminos, quibus orthodoxiam suam partim dilucidius exprimat, partim feliciter contra Adversarios defendat? Facebant ergo non nulli Pontificiorum negantes, idem ullâ ratione è Scripturis probari posse.

Vide Stratum Lib. 7. & Conferentiam adversus Iherosolimitanos.

VIII.

*Idem sentiendum etiam de vocabulo Trinitatis, quod materialiter & concretivè tantum ἑγχεσθαι est 1. Joh. 5. 7., non verò formaliter & abstractivè; id tamen hîc commodè adhiberi, cum vix habeatur melius, quod singularem illum & incomprehensibilem Personarum numerum, qui sine compositione in eadem Essentia Dei est, denotet:*


*Confessio.*


Et sanè sinistrè judicant, qui, quod formaliter atq; secundum literam, sc. totidem literis ac syllabis in Scriptura S. non extet vocabulum *Trinitatis*, protinus *ἀρραγο* dicunt & rejiciunt; uti præter Socinianos, expresse Calvinus ita: *Utinam sepulta essent nomina Trinitatis, ἁμοσιᾶς &c. & constaret modo inter fideles, Patrem Filium & Spiritum S. esse unum Deum.* Nam utut vi impositio.

Vide Schillingii Controversia p. 11. Vide Calvinum Lib. 1. infl. c. 13. Sect.

nis vox *Trinitatis* quem vis Ternarium numerum significet, etiam, qui inter distincta entia est; Inerim, quid impedit illam, per Ecclesiast cum loquendi modum supponere pro incomprehensibili illo Personarum divinarum numero? præprimis si non ex levi quadam novitate, sed urgente necessitate id fiat: videl propter insidias Hæreticorum, qui instar Prothei sese in varias formas transformant, atq; in vocum Phrasiumq; ambiguitate suos palliare errores, subdolè satagunt. Neq; enim frustra adhibetur illa vox, sed in Ecclesiâ præstat usum nunc *δογματικὸν* & nostram de Mysterio trium Personarum in una Essentiâ divinâ sententiam luculenter explicat; nunc *διανεητικὸν* & *ἰλεγγικὸν* dum nos ab Hæreticis perversè dicta de hoc mysterio loquentia interpretantibus, discernit illosq; simul refutat. Quâ ergo ratione vocabulum Trinitatis è foro Ecclesiæ eliminari debeat, nec apparet, nec apparebit. Tantum!

S D C.





nis vox *Trinitatis* quemvis Ternarium numerum significet, etiam, qui inter distincta entia est; Interim, quid impedit illam, per Ecclesiasticum loquendi modum supponere pro incomprehensibili illo Personarum divinarum numero? præprimis si non ex levi quadam novitate, sed urgente necessitate id fiat: videl. propter insidias Hæreticorum, qui instar Prothei sese in varias formas transformant, atq; in vocum Phrasiumq; ambiguitate suos palliare errores, subdolè satagunt. Neq; enim frustra adhibetur illa vox, sed in Ecclesiâ præstat usum nunc *δογματικόν* & nostram de Mysterio trium Personarum in una Essentiâ divinâ sententiam luculenter explicat; nunc *διαλεκτικόν* & *ιλεργητικόν*, dum nos ab Hæreticis perversè dicta de hoc mysterio loquentia interpretantibus, discernit illosq; simul refutat. Quâ ergo ratione vocabulum Trinitatis è foro Ecclesiæ eliminari debeat, nec appareat, nec apparebit. Tantum!

S D C.



